

frascripta ratificatio seu instrumentum ratific^{nis} et promissionis ill^{mi} domini Venetorum tenoris infrascripti: Leonardus Lauredanus Dei gratia dux Venetiarum etc.... laudamus, approbamus et ratificamus.... Datum in nostro ducali palatio die XXII. augusti 1517.... ». Segue in lingua *spagnola* la ratificazione del re di Castilla, Aragona, Sicilia ecc.... «d. d. En Medianburch a XXVIII. dias del mes de Agosto 1517 ».

Cop. (?) nell'Archivio segreto pontificio. *Arm. IV, caps. III, f. 152-165b.*

44. Papa Leone X restituisce il deposto cardinale Raffaello Riario.¹

Roma, 24 luglio 1517.

Leo etc. At fut. re^l mem. Precellens auctoritas... Sane cum nuper ven^{lem} fratrem Raphaellem de Riario episcopum Ostien. camerarium nostrum S. R. Ecclesie card^{lem} s^{ti} Georgii nuncupatum propter crimen lese maiestatis per eum in personam nostram commissum per nostram diffinitivam sententiam de fratrum nostrorum consilio et assensu latam dignitate honore auctoritate et galero et card^{lis} S. R. E. ac titulis ingniis privilegiis et voce activa et passiva necnon omnibus ordinibus ac metrop^{nis} et cath^{bis} quibus preerat aliisque ecclesiis titulis et monasteriis dignitatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis quibuscunque que in titulum vel commendam aut administrationem seu quovis alio modo obtinebat necnon quibusvis fructibus redditibus et proventibus ecclesiasticis etiam loco pensionum annuarum ac pensionibus annuis super similibus fructibus sibi reservatis apostolica auctoritate privavimus et deposuimus ac privatum et depositum declaravimus sibi que ne de cetero pro s^{te} R. Ecclesie card^{li} se nominaret gereret scriberet et reputaret ac omnibus Christifidelibus ne eundem Raphaellem pro card^{li} nominarent tenerent tractarent vel reputarent inhibuimus, ac ipsum Raphaellem degradavimus et curie seculari tradi mandavimus, nosque postmodum volentes imitari vestigia illius cuius vicem in terris gerimus, qui pro persecutoribus suis oravit ad patrem, ac bonum pro malo retribuere, deliberavimus cum eodem Raphaelle uti misericordia et clementia, habita super hiis cum fratribus nostris deliberatione matura de eorundem fratrum consilio ac de apostolice potestatis plenitudine eundem Raphaellem card^{lem} iuxta tamen nonnulla capitula conventiones et conditiones inter nos et eundem Raphaellem card^{lem} nuper inita et firmata et in quodam istrumento publico per duos camere apostolice notarios videl. dilectos filios Donatum Vulterrannum et Julium de [lacuna nel testo] rogato contenta, quibus nullo pacto preiudicare intendimus, quinimo ea omnia prout conventa fuerunt in-

¹ Cfr. vol. IV 1, p. 121 s. Al principio del documento trovasi in margine *Bembus*.